



**Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...**

In Dominicas totius anni

**Schrötter, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

XXXI. In Domin. II. Pentec. Homo quidam fecit cœnam magnam. Arg.  
Cœna vere magna.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

CONCIO XXXI.  
IN DOMINICA II. PENTECOSTES.

Homo quidam fecit cœnam magnam.

*ARGUMENTUM.*

COENA VERE MAGNA.

I.  Uis iste homo quidam, *Aud?* Num Polonus? num Germanus? num Gallus? num Anglus? Dicerem Po-

lonum ex lautitia ac magnificentia; siquidem tam lautè nonnulli epulantur, ut Salomonis epulas videantur æmulari; Verum opinionem meam infringit, quod præfatus *Homo quidam* pauperes, debiles, cæcos, claudos coegerit prope ad suam cœnam, ipsi autem, mediastriis etiam mere innatantibus, vix micam Lazaro dispenfent.

Nunc ergo Germanus? Et ut proprio ipsum compellam nomine, nonne Lutherus? Hic novo artificio apparavit convivium ex mæris ut mihi videtur artocreis, quoniam cum pane, in pane, sub pane Christi corpus constituit. Et verè in ipsorum cœna Agnus occisus dicitur, quia sanguinem in corpore contineri, in quo tamen omnis anima est, inficiantur. Sed & ab hac me sevo- cat sententia, quod plerique ab epulo Domini *Quidam* se subduxerint propter villas, boves, uxores. Apud Lutheranos autem longè aliter se res ha-

bet. Nam imprimis summatibus, ne forte ipsius mensam despicerent bona Ecclesiastica addixit. Plebem ne quid moraretur, à jugo quinque boum, id est ab observatione decem præceptorum, quæ impossibilia servatu asseruit, eos exemit. Uxoribus verò Deo dicatos viros imprimis attraxit. Non ergo potuit fuisse Lutherus.

Quis ergo? Num Gallus? Numquid non Genevensis quispiam? Numquid non Calvinus? Non citra ansam posset quis in hanc descendere sententiam. Etenim suam commentiam synaxim, non aliter, quam Cœnam ex hodierno Evangelio indigitant. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Insuper alibi affatim potant, bolique crassioribus utuntur. Verum tamen & istud incassum ementiuntur, cum cœna ipsorum longè minor sit Judæorum jentaculo. Hoc enim Angelicis manibus conficiebatur, continebatque in se omnem saporem, dulcedinemque suavitatis: Calvinisticus verò panis vulgaris est, à fœmina quapiam pistus, unius duntaxat saporis, mortis potius, quam vitæ nutrimentum. Neque enim vel



qualitate, vel accidente ullo discrepat ab obvio, & quotidiano. Non ergo exhibuit ille cœnam magnam, sed parvam & vulgarem.

Quis itaque est iste Homo quidam? Non est alius, quam Christus Deus & Homo. Hic in veritate fecit, apparavitque Cœnam magnam. Quod evincam.

PARTITIO.

II. Passim non magnitudo duntaxat & effectus ipse, sed & voluntas, affectusque beneficiis pretium imponit. Ex utroque horum capite Christi Cœna vere magna,

§ I.

Cœna Christi ex magnitudine assimilata.

III. **M**agnitudinem, & effectum ipsius in presenti non aliunde evinco, quam ex citato Evangelii textu, quo hoc divinum Epulum Cœna indigitatur. Cur enim non prandium, cur non symposium nuacupatum, vel alio digniore vocabulo honestatum? Sacer textus extollens magnificentiam

*Eucharistia  
aut cœna?*

*Esth. 1. 7.*

*2. Reg. 13.  
27.*

*3. Greg. in  
Evang.*

Assveri, ait; *Fecit grande Convivium tertio imperii sui anno. Eodem vocabulo utitur differens de symposio Absolonis: Fecerat Absolon convivium, quasi convivium regis. Quid igitur causæ est, quod loquens de hoc tam magnifico epulo, Cœnæ nomine describat: Homo quidam fecit cœnam magnam?* Attingere eam videtur S. Gregorius, dum distinguit inter prandium, & cœnam, quod post prandium Cœna re-

stet, post Cœnam verò convivium nullum restet. In hoc nimirum discrepat prandium à cœna, quod secundum illud, utut regium, magnificentumque fuerit, aliud convivium supersit vesperi sumendum; post Cœnam verò nihil præter quietem remaneat expectandum.

Et vel hinc colligite magnitudinem hujus cœnæ. Apparavit Dominus homini ex penuario hujus mundi mensam ab ipso illiusmet exordio; in eaque omnia quæ moventur in terris, quæ remigant in aquis, quæ volitant in aère illius gulæ velificare voluit. Apparavit mensam, in qua haberet oculus formas, coloresque, quibus pascere-

*Homini  
pula à Du  
varia appe-  
rata.*

retur; aures sonos, quibus caperentur; naris odores, quibus oblectaretur; gustus sapores, quos sectaretur; tactus molli-  
tiam, qua deliciaretur. Apparavit mensam, quam cum stupore spectavit, libavitque Propheta regius, dicens: *Domine quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam reputas eum? Minuisti eum pauld minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subjecisti sub pedibus ejus. At numquid hoc contentus erat convivio mortalis homuncio? Neutiquam, jam silvas, jam lacus expilaverat, & famebat; jam maria ipsa evacuaverat, & famebat; jam Lucullus in uno orbe redivit Cæsareos absumpserat, & famebat; jam Cleopatra in uno poculo regna propinabat, & sitiebat. Jentaculum id omne homini videbatur, nō prandium, non cœna, nec inveniebatur in penu mundi esca, quā homo exaturaretur.*

*Psal. 3. 5.*

IV. Quid non egit Numen optimum? Vertit se ad penu Angelicum, ut vel



vel ex illo expleret hominem; mandavitque quatenus in aëre panis Angelicus pinferetur. Dictum factum. Illico cœlestes illi pistores imperium executi, confecerunt manna, panem inquam cœlestem omni sapore redundantem. Ita enim hoc, inter alia beneficentiæ monumenta, deprædicat Sapiens: *Angelorum esca nutritivisti populum tuum, & panem de cœlo prestivisti eis sine labore, omnem delectamentum in se habentem, & omnem saporem suavitatis.* Et hoc panem numquid contenti? Loquantur ipsi: *Nauseat anima nostra supra pane hoc levissimo.* Addidit ultra potum, & prope nectar, lympham nempe de petra scaturientem. *Et eduxit aquam de petra, & deduxit tanquam flumina aquas.* Quid ad istud Judæi? *Nauseat, nauseat anima nostra.* Prandium id erat non cœna, quo provocabatur, non expleretur humana orexis.

V. Quorsum itaque se vertet Numen paternum? Ad sua nimirum penuria, ad sua cellaria. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Coëgit thesauros cœlestes in orbiculum unius hostiæ, ambrosiam in bolum unum, nectar divinum in guttam prope unam. Etenim hic inclusit rotum corpus, & sanguinem suum, hic inclusit animam, & merita sua, hic inclusit Divinitatem, immo & Trinitatem suam. Adest enim, ut docet Theologia, ibidem per concomitantiam Pater, actu generans filium, nosque propter ipsum filios suos agnoscens. Adest & Spiritus S. à Patre Filioque procedens, sanctificaturus animam juxta dispositionem ipsius. Nam ut docet Præ-

ful ac Lumen Africæ Augustinus: *Totus Pater in Filio, & Spiritus S. est. Totus Filius in Patre & Spiritu S. est. Totus Spiritus S. in Patre, & Filio, nullus illorum extra quemlibet illorum est.* Adeoque idem ipse verus, æternusque Deus, qui implet omne animal benedictione, qui Seraphicos suâ præsentia pascit spiritus, ipse suo nos hic lactat sanguine, suo inebriat nectate, suâ satiat sacratissimi corporis ambrosiâ. Hoc est prodigium omnes limites excedens, quo Deus cum sit omnipotens, plus dare non potuit; cum sit sapientissimus, plus dare nescivit; cum sit ditissimus, plus dare non habuit. Hoc est Convivium, quod spes nostras, vota que excedit; hæc est Cœna, post quam nihil imaginari potest amplius. Non plus ultra.

VI. Erat Patriarcha Jacob ætate jam provectus, præque senio caligaverant ipsi oculi, quando agebatur de benedictione filiis impertienda. Itaque Esau, cui de jure primatus compete-  
 bat, benedictionem collaturus, mandat eidem: *Sume arma, & pharetram, & affer mibi de venatione tua.* Audiit hæc mater, anxia de filio altero Jacobo, & præventura benedictionem Esau paravit extemplo cibos, quemadmodum noverat velle Patrem ipsius; *Et vestibus Esau valde bonis induit eum, pelliculasque hedorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit.* Sic ingressus cum obtulisset cibos, vinumque infudisset, odoratus fragrantiam vestimentorum ejus, ait: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & ser-*



viant tibi populi, & adorent te tribus, esto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuae, qui tibi maledixerit, sit maledictus, & qui tibi benedixerit, sit & ipse benedictus. His confectis successit Esau cum sua venatione, & audita fraude Jacobi obtestatus est patrem ejulatu magno, ut & sibi bene precaretur. *Benedic, etiam mihi pater mi.* Cui post multa Isaac: *Dominum illum tuum constitui, & omnes fratres ejus servituti subjugavi, frumento, & vino stabilivi eum, tibi ultra fili mi, quid faciam?* Non occurrit mihi fili mi in quo te benedicam, aut quid tibi conferam, ex quo vino & frumento stabilivi eum. Erat Isaac opulentus, possidebat greges plurimos, agros non paucos, in his omnibus post triticum vinumque nihil illi restabat dispensandum.

Christus Dominus verus Pater futuri saeculi, Pater inquam noster, qui minores sumus filii, & merito in Jacobo figurati, pane & vino nos itidem SS. Sacramenti stabilivit, eaque nobis contulit, ut jure concinnere queat Isaac: *Frumento, & vino sacerrimo stabilivi eum. & tibi ultra quid faciam?* Hoc est, inquit Paschasius Abbas; *aperte dicere firmavi eum pane corporis Christi, & vino sanguinis, tibi autem ultra fili quid faciam?* Jam nihil restat, in hoc effudit divitias bonitatis, ac Divinitatis suae, in hoc totos nostros consumptus in usus. O vere Deum nimium prodigum sui! O verè larga, & prodiga largitas, ubi donatus venit in donum, & datum est idem penitus cum datore! O quam merito hic quisvis alter, meliore tamen mente, eum epulone gaudere, consolarique se pollet: Anima mea ha-

bes multa bona, posita in annos plurimos requiesce, gaude, epulare in omnibus bonis Domini Dei tui. Huc usque laborare oportebat jam quiesce; & dic cum Psalmista: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam.*

VII. D. Apostolus Paulus describens sacratissimum, profundissimumque Incarnationis mysterium, ad incitas redactum in eo fuisse Dominum insinuat: *Exinanivit semetipsum formam Phil. 2.7. servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Tertulianus legit: *Exhaustit semetipsum, id est inanem, vacuumque reddidit, qui erat plenus gloria, & majestate, adeoque plenitudo totius entis in nihilum prope se redigit, ex Domino factus servus, ex Deo homo, ex Creatore creatura.* Quemadmodum enim nomen Creatoris est, *ego sum, qui sum:* ite nomen creaturae non sum. Omne enim esse quod habet, à Conditor suo habet, illudque incessanter à Deo accipit, in tantum ut si Deus desineret in illam influere, subtraheretque illi manum suam; illico in nihilum suum recideret. Ad hoc nihilum sese abjecit, formam servi susceptam Dominus Majestatis, *Exinanivit semetipsum.* Quam humilitate, quid dici, fingique potest insolentius, ac mirabilius?

Invenit tamen sapientia Patris aliquid ultra, quod in epulo Eucharistico dispensaret, profunderetque. Nam si in Incarnatione datus est nobis, nostram assumpturus Humanitatem, in S. Synaxi ipsam nobis contulit Humanitatem, ac Divinitatem. Si ibi formam servi suscepit; hic ad species usque panis ac vini se demisit. Si ibi unam sibi

*Pasch. Ab.  
de sanguine  
Christi c. 21.*

*Euchari-  
stia Incar-  
nationis  
extensio.*



sibi in individuo univit naturam humanam; hic universos sibi copulat, quotquot dignè illum accepturi accedunt. Si ibi eam sibi naturam sociavit, quæ ab omni peccati actu, & ipsa peccandi potentia exitit liberrima, hic non solum à justis sese manducari expetit; sed ipsis peccatoribus indulget. Si ibi Pastor bonus nonagesimam ovem perditam dorso imposuit, & factus est principatus ejus super humerum ejus: hic Pastor ipsemet gestatur in visceribus ovis, sapius degenerantis in lupum. Si in Incarnatione minimis restringitur membris Deus immensus citra confusionem duarum naturarum: in SS. Sacratissimo sub pane exiguo, immo in uno prope indivisibili puncto totus coarctatur Christus; absque eo tamen, quod quantitatis ejus partes inter se confuse permisceantur. Si per illum Deus in hunc mundum intravit, triginta trium annorum penodo nobiscum permansurus, in hoc in omne ævum nobiscum permanens, contestante ipso: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Si ibi inter arcta conditus præsepia, hic inter arctiora cordis repagula resupinatur. Si ibi semel se pro nobis obtulit; hic indies millies ac millies, omni horâ, ac momento immolatur. Quis tam profusam non obstupescat dignationem? Quis tam incomprehensam non miretur magnificentiam?

VIII. Intuendo Regina Saba cibos mensæ Salomonis, & domum, quam ædificaverat, & ordines ministrantium vestesque eorum, & pincernas, non habebat ultra spiritum. Excla-

mavitque revocato à deliquio animo: *Beati viri tui, & beati servitui, qui stant coram te semper.* Et tamen totus ille apparatus, & luxus non nisi ex penuario vilissimo creaturam coacervatus extitit. Quo ergo stupore defixa non fuisset, si quidpiam ex Elysiis campis in eo observasset? Vel quâ nos percelli par est admiratione, qui ad divinas nepulas invitatos novimus, illosque participamus?

Israelitæ in deserto aspicientes panem, nullis mortalium manibus factum, molitum, subactum extasi pleni, nec quicquam aliud pronuntiare potuere, quam *Manhu Manhu, quid est hoc? quid est hoc?* q. d. Non capimus mysterium, non assequimur doni istius excellentiam, si à foris cernatur panis hic videtur vulgaris; at si degustetur omnium ciborum dulcedinem complectitur. *Quid est hoc?* Et in tantum admiratio processit, ut panis ille cœlestis subinde Manna, seu Manhu insigniretur. Verum si illi panem hunc, et si angelicis manibus subactum, vermicibus tamen obnoxium, in bonum corporis dispensatum, tantopere demirati sunt; quidni amplius stupeamus Deum in bolo modico nobis elargiri panem non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam; panem continentem omnem saporem, & oblectamentum suavitatis, immo & Divinitatis. Si panis ille Angelorum dictus, quod subactus manibus Angelicis; panis iste verè divinus Dei pollice confectus. Si ille pretiosus; hic tantus, ut Nunten optimum M. per omnem suam potentiam conficere pequeat eminentiorem.

*Eucharistia  
excellens.  
Exod. 16.  
v. 15.*

*Math. 28.  
v. 20.*

*3. Reg. 10.  
v. 5.*

Haba-



Hab. 1.  
LXX.

Habacuc Vates certior redditus per visionem de incorporando Verbo æterno, & inter pecudes reclinando extra se raptus præ horrore mysterii expalluit, totisque intremuit artibus: *Consideravi opera tua, & expavi, in medio duorum animalium cognosceris.* Deus qui sedes super Cherubim, resupinaberis in stramine; qui facis Angelos tuos spiritus, jam uteris famulo asino; qui repleas universa benedictione, jam obnoxius eris miseris, & maledictioni. *Consideravi opera tua & expavi.* Exigite vero an non justius nos admirari par est, ubi non semel, sed toties inter belluas resupinatur, quoties ab iniquis, & in sceleribus computrescentibus manducatur; ubi toties in præsepio coarctatur, quoties in S. Synaxi conficitur; ubi toties incarnationem suam extendit, quoties de novo fidelibus unitur.

Desistat jam ergo mirari Saba lautitiam mensæ Salomonis ex cadaveribus propè solis constructæ; desistat Judæi suum deprædicare Manna; desistat Habacuc stupere in medio duorum animalium Dominum; & hoc unicum edulium sit nobis stupori, sit admirationi. Hoc gratâ, ac memoriam recolamus, inque hujus excellentias evehendas toto animi impetu incumbamus.

§. II.

*Cæna ex affectu pensatur.*

IX. **A**Tat etsi ex hoc capite cæna magna sit, maxima tamen est ex affectu. *Valgè dicitur: Hospitis in mensa vultum non secula pensa.* Affe-

Convivii  
anima af-  
fectus.

ctus enim, & amor Convivii anima est; & quemadmodum anima corpori vitam tribuit: sic affectus convivio, ac beneficio. Unde parvum donum magno exhibitum amore, magnum donum reputatur; magnum verò cum parvo amore parvum.

Quantus hic fuerit in Christo, explicat S. Joannes de hoc agens mysterio: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Ioan. 13. S. Cyril. l. Quid est istud in finem? S. Cyrillus interpretatur, quod Christi dilectio non fuerit fragilis, & remissa, sed fortis, constans, perseveransque in finem. *In finem dilexit eos; quia non solum usque ad mortem, verum etiam per mortem ipsam pro suis patefecit amorem: Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amico suis.* Christi amor nõ tantum fortis fuit sicut Mors, sed supra & ultra mortem invaluit.

X. Quod ut pateat relegite tantisper (quoniam Sacramentum hoc memoriale passionis ipsius est) adventum ipsius, conversationemque inter nos in hoc mundo: Quo quæso ille vultu, quâ humanitate susceptus, ac tractatus? Vix ille homines inter comparuit, & illico positus in signum, cui contradiceretur; in scopum, in quem omnes injuriæ, calumniæ, probra, maledicta, machinamenta detorquerentur. Dedignati sunt Deum hominem habere homines intra se, verum ad bestias, stabulumque amandarunt, quasi de illo enuntiatum esset, quod de superbo rege vaticinatus est Daniel: *Ab hominibus ejicient te & cum bestiis, feris que erit habitatio tua.* Et ne illic quidem quietus degeret in stabulo, factâ conspiratione exterminare & exturba-  
re

Christi a-  
moris scopi  
Euchari-  
stia.

Hominum  
inhumani-  
tas erga  
Christum  
incarna-  
tum.  
Dan. 4.



re terris moliti sunt; neque dubitarunt, vel cum multorum millium Innocentium cœde recens natum perditum ire. Itaque fugiendum illi erat, quærenda latibula, quibus tegetetur, & quasi viatori declinandum in alienas terras ad commorandum. Sic cum triginta annos aut exul, aut ignotus, contemptusque exegisset prodiit in publicum, si quo modo beneficiis, procuratâque corporum animarumque salute mundum sibi devincire posset, atque ad reciprocum pellicere amorem. At eheu res iteratò in diversum abiit. Ut primum homines Deum humanum, seu humanatum conspexere, quasi signo dato, & classico, undique in eum insurrexerunt, & quidquid pene hominum fuit, in ita conjuratione ad ipsum exterminandum convenerunt, nec prius destiterunt, quam nefariè proditum impiè captum, in suam potestatem, quamvis volentem redegerunt; feceruntque in eum, quidquid voluerunt.

*Hominum tyrannis in Christum.* Et quid quæso voluerunt; vel quid noluerunt? Cœdem, vulnera, sanguinem, omnia cruciatuum genera, & quidquid cogitatu horridum, atque immane hoc voluerunt, & Deum hominem esse noluerunt. Ipsi prius in feras plusquam rabidas mutati humanitatem omnem abjecerunt, tum Verbum divinum in tantum loris, flagris spinis excarnificarunt, ut nec esset illi aspectus, neque decor; non sanguis in venis, non integritas, sanitasque in membris, non caro in ossibus, vix pilus in capite, vix anima in corpore. Et ne quid tyrannidi ipsorum deesset, osium iuncturis extensione in crucem

divulsis ruptis, discissisque venis; pectore visceribusque perfossis, carne dilaceratâ, atque dispersâ, quod restare ex illa Humanitate poterat, ita exterminarunt de terra, ut quasi eâ haberetur indigna, & quasi veriti, ne ejus contactu conraminaretur procul in altum, ut eò rediret, unde venerat, oriens ex alto, reijcerent; neve rursus relaberetur in terram ligno affigerent; nihil pensi habentes cruciatu, probra, ignominias, sed cuncta in ludum, jocumque vertentes. O cœlum! ô terra! ô Superi & Inferi, & quidquid usquam sentit, aut sensus expers est; quis audivit unquam talia horribilia, quæ fecit nimis genus filiorum hominum? *lor. 18.* O Sol subtrahe tuos tanto facinori radios, & vultum peplo indue, obvolvite & vos caliginum sipario sidera, & cum homines temperent à lachrymis, vos largius profundite.

XI. Quid vero in hoc rerum statu egit benignissimus mitissimusque JESUS? Numquid fulmina, Tartaraque? numquid vindictam in feros meditabatur nepotes? Numquid cum Amalio totum in humanum genus Furias emittit? Ah amat. Et quemnam illum? aut quosnam tandem? Homines amat, & quidem illos, qui sic cum illo agunt. Hos amat, & ardentissimè amat, & ad mortem amat. O Charitas ô amor! ô charitas, ô amor. Illi nihil nisi de interitu cogitant, Christus nihil nisi de eorum salute, illi vitam eripiunt, hic vitam instillare intendit, illi exterminant, hic ad se blandè evocat: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos. Venite v. 28.* bibite, & inebriamini charissimi, bibite

*Christi amor in homines in ipsis tormentis.*

*Matth. 11. v. 28.*



Prot. I.  
v. 12a

bite vinum, quod torculari crucis expressum, miscui vobis. Quandoquidem vos ita cruciatibus meis delectamini, & vivum deglutire nitimini, annuam voris vestris, & odium vestrum amore meo compensare, si non omnino extinguere adnitatur. Si vos me expellitis, ego ibo parare vobis locum, si me è terra vestra excluditis, ego vos, si modo velitis, in regnum meum recipiam, eadem me cum beatitate, amore æternum fruituros. Atque ut Amor meus in vobis triumphet, illam ipsam carnem meam, quam vos ab ossibus meis avulstis, frustratimque disjecistis, corpus meum, quod discerpistis, sanguinem, quem per tot tribunalia, & in ipso monte Calvarie sparsistis, ob amorem vestri, magis magisque dispergam, nec in una tantum urbe, aut provincia, sed per totum, quam late pater terrarum orbem me explicabo, & ne deinceps excludar à vobis, intra vos ipsos me ponam, vestraque intra viscera me recondam, ut quam in intimis visceribus erga vos gero charitatem, in viscera vestra effundam. En cibus sum vester, quod sub specie panis later, quem vos videtis: *Hoc est corpus meum.* Nec me later, quæ, & quam indigna, & vel memoratu horrida toleraturus sum sub his speciebus per multa sæcula, ab impiis, sceleratis, sagis, veneficis, Judæis, idololatriis, aliisque nefariis contemptoribus, capitalissimisque hostibus, verum hæc omnia amanti meo posthabeo. Tantum vos compello, obtestorque quotquot mei estis, vel esse vultis, si quam vicem amanti meo reddere inardescitis, me me intra vestra præcordia recipite, me

manducare pergite. Ne verò me querendo, inveniendoque defatigemini, efficiam, ut quam proximus semper sim vobis, ut quoquo oculos circumtuleritis, quidquid sacrarum ædium vituri estis, me in iis præsentem, immorantemque inveniatis.

XII. O mi Deus, o mi Jesu, quis est iste amor tuus, quam immensus, quam excessivus, quam divinus? Quis est iste amor, quo tu Deus meus lutum tuum, Creator creaturam, medicus infirmum, Salvator peccatorem complexus es? Quis est iste Amor, verè plusquam paternus, aut maternus? Quis enim parentum tam tenerè dilexit filium, ut eidem corpus suum in cibum, sanguinem in potum vel extremo famis tempore contulerit? Matres non paucas legimus grassante intra viscera fame, in propria defævisse pignora, at quanam illa est, quæ carnem brachii sui proli emorienti dispensaverit.

Quis iste amor tam immensus? Si magnus ignis ille est; quem aqua nequit extinguere, quanta Christi charitas, quam nec flumina persecutionum obruere?

Quis est iste Amor tam excessivus? Si enim in die ortus sui SS. Sacramentum instituisse, quando cœlestis militiæ exercitus illi gloriam decantabat, aut pastores, Regesque eum devenerantur; si in die transfigurationis suæ, quando gloria, & honore coronatus apparuit; si in die gloriosæ Resurrectionis, vel Ascensionis in cœlum hoc beneficentiæ Amorisque monumentum contulisset, non ita mirum foret, verum quia in die passionis suæ quando



quando à Juda prodebat; quando homines felle & aceto potare eum volebant, quando in necem acerbissimam conjurarunt, id instituit; *in nocte in qua tradebatur contulit, quis non obstupescat?*

Quis est iste Amor tam divinus? Si aliunde non cognovissem Jesu Divinitatem, ex hoc solo Amore assequerem. Neque enim tam ineffabile mysterium instituire potuisset, nisi brachium Dei fuisset, nec invenire nisi Sapiencia Dei, nec conferre nisi ipsa Bonitas immensa fuisset.

Quis est iste Amor? Hæreo, stupeo, deficio. Neque enim mens ulla humana vel angelica ipsius sublimitatem attingere pollat. Appellate quoque vultis ad Cherubinos Seraphicosque choros, in expendendo hujus amoris pondere deficiunt, in contemplando ejus excellentia vultum suum obnubere coguntur.

XIII. Vah & tam deditissimum, tam affectuosissimum, tam divinum Amatorem, homines vel humano, id est tenuissimo affectu redamare detrectant. Quid dico etiamnum tantam bonitatem, tantum amorem sceleribus suis irritare non verentur. Eheu video passim, ut olim, ita nunc rursum *in semetipsis crucifigentes filium Dei, & ostentui habentes.* Eheu audio passim temerare, ac blasphemare sanctissimum nomen hujus adorandi mysterii! Audio non nisi Doctore Sathanâ, aut juratissimis Christi hostibus per Sacramenta, id est fontes gratiarum omnium, mala quævis apprecari, iram, furoremque suum effundere, Divos om-

nes impie lacerare. Audio, video, palpo, quod quod insignior Amor, Bonitasque Christi Domini Dei nostri in nos redundavit, eo ex adversum deteriorum ab hominibus exerceri ingratitude, solâque malitiâ cum immensitate Amoris illius concertare. Ah non hoc satis est, ut amplius de nobis, quam olim de Judæis conqueratur: *Filios enutrivit, & exaltavit, illi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, & asinus praesepe Domini sui, Israel autem me non cognovit, & populus meus, (Christianus) non intellexit.* Si enim intelligissent, non utique tam graviter eum offendissent, sed amore ipsius conflagrassent. An non hoc satis est, ut defectio pro peccatoribus teneat me, ut animo linquar, immo & vita ipsa. O redite, redite peccatores ad cor, quod à tam amabili Domino avolare fecistis. Redite, redite, & cui omni jure debetis amorem, perentii reddite.

XV. O quis mihi det ut convertam corda hominum perversorum in filios, ut impendar, & super impendar amore ipsorum. O quam libenter darem cor meum in minimas etiam particulas, & atomos discerpendum; quatenus totidem corda pro Christo amando lucrari possem. O quam libenter omne genus peccatorum cum gratia tua admitterem, modò vel unicum peccatum, disgustumque amabilissimi cordis mei Jesu impedirem. O quam ambio mi Jesu, ut ipsorum defectum amore meo suppleam. Utinam, utinam omnium Sanctorum, sanctarumque mentium amores simul sumpti, in cor meum, quantumvis angustum, & exile

Ingritudo  
humana  
arguitur.

Heb. 6. 6.

Isa. 1. 2.

Affectus  
Amoris.



diffunderentur, ampliarenturque, ut ita omnium præcordiis ac affectibus te Deum meum sic immensum amarem! Profectò si in mea foret potestate habere omnes possibiles voluntates meæ unitas, iis omnibus te amarem, tibi que debitum gratitudinis censum pro tanto persolvere beneficio conarer. Verùm quoniam hoc totum nihil esset dignum amore tuo, peto ut tuomet corde in nobis, & pro nobis te diligas, corque nobis tuum dones, quò te pro merito amemus; & complectamur; ea nimirum infinità perfectione, quâ te ipsum amas.

XVI. Supplico à te idipsum pro omnibus præsentibus, & imprimis de hac sacratissima mensa participantibus. Tuum illud oraculum est: *Ubi-  
cunque fuerit corpus illic congregabuntur  
& Aquila.* Ecce hic est corpus tuum sacrosanctum, fac ut secundum verbum tuum ad illud congregentur omnes sicut Aquilæ.

*Iob. 39. v.  
27 & 28.*

De his differit Job: *In arduis ponit  
nidum suum, in petris manet, & in præ-  
ruptis silicibus commoratur, atque in ac-  
cessu rupibus, inde contemplatur escam, &  
de longe oculi ejus prospiciunt.* In arduis  
adolescunt & istæ Aquilæ tuæ, animæ  
nimirum justæ, in silice & saxis non in  
violis requiescant & inde prospiciant  
hanc escam, & ubi fuerit corpus sum-

ma cum devotione, ac propensione  
congregentur.

De illis testantur historiæ, quod  
tantopere nutrices suam dilexerint, ut  
cum illis potius cremari elegerunt,  
quam vivere sine illis. Ament & istæ  
tuæ te Aquilæ, elegantque potius emori,  
quam vivere sine te; pudorque illis  
sit non æmulari brutas illas in dilectio-  
ne tui, qui proprio nos corpore & san-  
guine alis in vitam æternam.

O, ô, ô quis mihi dabit pennas non  
ut Columbæ, sed ut Aquilæ & volabo  
ad hoc sacratissimum corpus, contem-  
platurus escam tanta cum magnifi-  
centia, tanto cum amore apparatusam.  
Tanta cum magnificentia, ut nihil om-  
nino Numen in thesauro Divinitatis  
sue retineret, quod in ea non profun-  
deret. Tanto cum amore, ut vel in ex-  
tremis suppliciis torculari crucis sue  
dulcedinem ipsius exprimeret!

Tu, tu ô divinissime Conditor, in-  
structorque hujus tam stupendi con-  
vivii, tu Amator hominum profusissi-  
me, tu Aquila magnarum alarum id est  
immentæ charitatis, quæ tulisti medul-  
lam Cedri id est crucis tuæ, nobisque  
communicasti, tu pennas affectuû in-  
tensissimorum, Seraphicorumque suf-  
fice, & volabo ad corpus tuum

sacratissimum, & requiescam  
Amen. Fiat,



CON-